

R E C T O R  
 A C A D E M I A E V I T E B E R G E N S I S  
 C H R I S T I A N V S  
 S I G I S M V N D V S  
 G E O R G I V S  
 S. S. T H E O L. D O C T O R E T P R O F E S S.  
 P V B L. O R D I N A R I V S A L V M N O R V M  
 E L E C T O R A L I V M E P H O R V S  
 I N S T I T V T V M  
 I O A N N I S C H R I S T I A N I R I C H T E R I

S I Z E R O D E N S I S  
 S. S. T H E O L. C V L T O R I S  
 A. R. S. C I D I D C C L X I V. P R I D. K A L. I A N.

H A B E N D A P V B L I C E O R A T I O N E  
 L E G I L I B E R A L I T A T I S W E Y R A V C H I A N A E

S A T I S F A C T V R I  
 C I V I B V S  
 C O M M E N D A T.



*Praemittitur Antiquitatum Germaniae specimen XVII. intercalarium III. observationis antiquariae.*

V I T E B E R G A E  
 P R E L O E P H R A I M G O T T L O B E I C H S F E L D I  
 A C A D E M I A E A T Y P I S.



**P**raeclarissimum gloriae maiorum nostrorum monumentum exstare Taciti Germaniam eruditissimi quique viri, quibus antiquitatum patriae exactiorem notitiam debemus, agnouerunt, cuius tamen grauem accusationem CHR. LVD. SCHEIDIO, in praef. ad Eccardi origines Germanorum, instituere placuit. Argumenta, quibus eius fidem in suspicionem vocat, maiorem lectionis copiam, quam vetustioris historiae cognitionem, produnt; neque bona est consecutio, qua ab ignoratione rerum Iudaicarum indicium similis in descriptione Germanorum cul-pae arcessere voluit. Sed condonandum hoc est viri eximii reliquis in rebus sequiorum temporum meritis, dum tamen eius auctoritate non impellamur, vt Taciti narratis fidem demamus, quorum pleraque insignibus posteriorum temporum documentis confirmari luculentissime videamus. Longe meliore consilio GEOR. CHR. GEBAVERVS, V. III., hunc libellum praeclarissimis commentationibus exponens, ipsum Taciti institutum aperuit, et ex diuersitate morum Romanorum et Germanicorum subtilius obseruata maximam narrationum eius partem explicandam esse docuit. Sed ea tamen in re, dum Romanas solum antiquitates illustrauit, alteram tantum partem absoluisse censendus erit, relicta aut dilata altera, qua de diuersis, quae ab vltima gentis origine repe-

reperantur; Germanorum institutis plenius eru-  
diremur. In hac verò ingens adhuc operae  
pretium facere illis licere, qui veterum monu-  
mentorum tractandorum usum sibi compararunt,  
nobis vndiquaque liquet. Insignis est CORNE-  
LII locus, (Germ. c. XIII.) de quo pauca  
meditari animus est, vbi: *Insignis, scribit, nobi-  
litas aut magna patrum merita PRINCIPIS digna-  
tionem etiam adolescentulis adsignant. Ceteris ro-  
bustioribus ac iam pridem probatis adgregantur.  
Nec rubor inter COMITES adspici. Gradus quin  
etiam et ipse comitatus habet, iudicio eius, quem se-  
ctantur. Magnaque et comitum aemulatio, quibus  
primus apud principem suum locus; et principum,  
cui plurimi et acerrimi comites. Haec dignitas,  
hae vires, magno semper electorum iuuenum globo  
circumdari, in pace decus, in bello praesidi-  
um. Nec solum in sua gente cuique, sed apud  
finitimas quoque ciuitates id nomen, ea gloria  
est, si numero ac virtute comitatus emineat.*  
Mirari nunquam satis eorum potuimus sententiam,  
qui Tacito ignota fuisse rei beneficiariae inter Ger-  
manos instituta contendunt, quum tamen hac e-  
ius descriptione recte exposita nihil esse possit cla-  
rius; vt iam HVLDER. AB EYBEN (Elect. feudal.  
c. II. §. VI.) et IAC. CAR. SPENER (Obseru. Hist.  
Feud. I. §. IV. squ. perspexerunt. Scriptor Roma-  
nus, quod suae linguae vocabulis vti ipsum oportuit,

tuit, si non tam manifesta indicia rerum, quam optassent illi, qui forte ipsas Teutonicas adpellationes exspectassent, ut eius mentem perciperent; prodidit, non est vertendum ipsi vitio, neque de eius fide aut cognitione rerum penitioris Germaniae dubitandum, ut facile ostendemus. Memorabile etiam hoc est, quod, tanquam alienissimum a Romanis et Graecis moribus, narrat, adolescentulos quoque inter Germanos principes fieri, quod apud illos sane insolens inauditumque: nimirum si principes intelligantur rectores popularium et summi atque perpetui magistratus, quales hic intelligi iam alii animaduenterunt. His eam dignationem quod adsignare insignem nobilitatem aut magna patrum merita refert, duplicem ad principatum perueniendi viam fuisse usitatam indicat, alteram successionem ex iure hereditario mixto cum libertate populi suffragiorum, alteram ex mera electione ob maiorum cuiusque merita. Illam semper inter Germanos valuisse, non veterum modo Francorum res docent, temperata inter ius generis et electionem regum successionem, sed exempla quoque ab HERTIO (Notit. vet. Germ. pop. Part. I. c. IV. §. II. collecta abunde probant; ut taceamus, quae egregie hoc de argumento disputat illustris eques DE BVAT. (Orig. ou l'Ancien. Gouvernement de la France, de l'Allemagne et de l'Italie T. I. l. I. c. I. II. V. X.) Sed alterius forte

forte per electionem populi liberam vestigia frustra quaeri clamabunt, qui cum LEIBNITIO, VERPORTENNO et LYDWIGIO semper principatus in Germania hereditariae successionis ius habuisse contendunt. Sed horum opinio tantum abest, ut in antiquis historiis ullum praesidium inueniat, ut homines doctissimi certatim omnia alia docuerint, post quorum industriam luculenta saltem aliquot exempla proferre liceat. Iam hoc satis notum est, potentiores Germanorum populos, antequam Francis subiicerentur reges vel duces sibi legisse suo arbitratu promiscue alios, ut Saxones, alios ex certis quibusdam familiis, ut Marcomannos, Gothos, et Boioarios. Sed neque sub Francis postea, aut eorum successoribus Germanicae stirpis imperatoribus plane exoleuisse electiones, licet a regibus, tanquam supremis dominis confirmandas, multa argumenta sunt. In LEGIBVS BAIORARIORVM (tit. II. XX. §. 3.) legimus: *Dux vero, qui praest in populo, ille semper de genere Agilolfingorum fuit et debet esse, quia sic reges antecessores nostri concesserunt eis, ut qui de genere illorum fidelis regi erat, et prudens, ipsum constituerent ducem ad regendum populum illum.* Praeclarum sane insignis nobilitatis, dignationem principum adsignantis, specimen in his Agilolfingis. Sed ante hos commemorata ibidem secunda nobilitas e genere ducum Huosi, Trozza, Sagana, Hahilinga, Aenni-

on. Ex horum Huosorum progenie idem BVA-  
TVS, R. Gall. ad comit. Imp. Legatus Excellen-  
tiss., (in Comment. Acad. Scient. Boi. T. I. p. 74.  
sq.) illustrissimam domum Schyrensem, cui duca-  
lis dignitas tandem a Friderico I. Imp. restituta  
fuit, descendisse, egregie docuit. Nobilitas er-  
go ab Agilolfingis proxima ius vetus in recupe-  
rando principatu tenuit, ex moribus plane Ger-  
maniae antiquissimis, a Tacito commemoratis.  
Sed de libertate quoque populi, ducem e nobilif-  
simis istis gentibus legendi, multa praeterea ar-  
gumenta supersunt. Id nimirum spectauerat Ar-  
nulfus Imp., quum EX ANNALIUM FVED. testi-  
monio A. 1000CLXXXIX. Forchhemii in comitiis  
postularet, *vt eodem tenore primores Francorum,  
prout Boioarii, iuramento confirmarent, ne se detra-  
berent a principatu et dominatu filiorum eius Zwen-  
tibilchi quidem et Ratoldi.* Idem obtentui sumserat  
Henricus II., quum Heziloni, ducatum Boioariae  
postulanti respondit: *Quos semper praecipuos inter  
omnes gentes habui, quosque semper toto mentis  
adfectu amavi, (sc. Boioarios) hos adepta benedi-  
ctione regali in lege sua nec deteriorare volo, nec  
deteriorari patiar, dum vixero. Legem habent, et  
Ducem eligendi potestatem ex lege tenent. - - -  
Exspectet (Hezilo) vt in Bauariam redeam. Ibi  
si illum elegerint, eligo et laudo, si renuerint, re-  
nuo; vt haec prodit ADELBOLDVS, (in vit.  
Henr.*

Henr. S. §. X.) cui consentit et eadem narrat DITMARVS (l. V. p. III. ed. Mader.) Quod idem confirmat ANNALISTA SAXO, (ad A. CLOIX. p. 412.) Boioarios *Duci suo sponte omnes iurasse, se per tres annos alium aliquem non eligere.* Quo etiam pertinet, quod de Eccardo II. memoriae prodidit DITMARVS: (l. V. p. 107.) *super omnem Thuringiam communi totius populi electione ducatum promeruit.* Imo, quid clarius ad haec Germanorum instituta declaranda hac ERKEHARDI iunioris narratione: (ap. GOLDAST. rer. Alam. T. I. p. 18.) *Sueviae principum adsensu statuitur Alamannis Dux primus Burckhardus gentis illius nobilissimus et virtutum dote praestantissimus; cui et praedia damnatorum confiscata in beneficium sunt tradita.* Nimirum haec antiquissima maiorum potestatum et dignitatum fuerat ratio, antequam hereditaria successio ex iure sanguinis obtinuisset; persimilis ea antiquissimis rei clientelaris, seu beneficiariae, rei inter Germanos institutis, ut iam alii obseruarunt, quod beneficia initio non perpetua ad heredes transibant, nisi his aut parentum eximia merita, aut ipsorum gratia ob opes vel virtutem, profuissent. Haec quam vtilitatem habere possint, tunc adparebit, quum de antiquioribus Saxonum Ducibus, antequam cum Francis et reliquis Germaniae populis vnus corporis facti fuissent, agemus.

Nunc

AK T. 1481

Nunc VOBIS, CIVES, indicandum est praeclarum Ioannis Christiani Richteri, Sizerodensis S. S. Th. cultoris ornatissimi propositum, qui finem huius anni tanquam festiva florum sparsione celebraturus prid. Kal. Ian. bono cum Deo orationem ex Weyrauchiani legati lege habere constituit de admiranda vi verbi diuini in reformatione sacrorum D. Lutheri conspicua. Vos frequentes et beneuolos ad audiendum vt adfuturos, speramus; ita ad rite etiam concipienda pia vota et omina pro salute et incolumitate SERENISSIMI PRINCIPIS TOTIVSQUE DOMVS AVGVSTAE, pro felicitate patriae, et pro flore et incrementis nostrae academiae exhortamur.

P. P. A. R. S. clō Io cc LXIV.  
a. d. III. Kal. Ian.




Nunc

HL







R E C T O R  
 A C A D E M I A E V I T E B E R G E N S I S  
 C H R I S T I A N V S  
 S I G I S M V N D V S  
 G E O R G I V S  
 S. S. T H E O L. D O C T O R E T P R O F E S S.  
 P V B L. O R D I N A R I V S A L V M N O R V M  
 E L E C T O R A L I V M E P H O R V S  
 I N S T I T V T V M  
 I O A N N I S C H R I S T I A N I R I C H T E R I

S I Z E R O D E N S I S  
 S. S. T H E O L. C V L T O R I S  
 A. R. S. C I D I D C C L X I V. P R I D. K A L. I A N.  
 H A B E N D A P V B L I C E O R A T I O N E  
 L E G I L I B E R A L I T A T I S W E Y R A V C H I A N A E  
 S A T I S F A C T V R I  
 C I V I B V S  
 C O M M E N D A T.

*Praemittitur Antiquitatum Germaniae specimen XVII. intercalarium III. observationis antiquariae.*

V I T E B E R G A E  
 P R E L O E P H R A I M G O T T L O B E I C H S F E L D I  
 A C A D E M I A E A T Y P I S.

